



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Art. I. Quid, & quotuplex sit Dubium, & an liceat agere cum dubio practico.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

plectatur malum ut tale: sed sufficit, si scienter amplectatur malum quod tale: at verò ad actum honestum requiritur, ut quis amplectatur honestum ut tale.

Ad confirm. dist. ma. possemus esse certi de nostra justificatione, certitudine quadam morali. om. ma. certitudine metaphysica, vel fidei, cui non potest subesse falsum. neg. ma. & dist. sic min. neg. conseq. Nam Tridentinum sess. 6. c. 9. *Et can. 16.* tantum excludit certitudinem fidei, cui non potest subesse falsum. Potest etiam negari ma. nam, etsi haberetur iudicium moraliter certum de honestate, non etiam statim haberetur de supernaturalitate actus.

239. Ob. 6. Non requiritur in ordine ad honeste agendum, ut excludatur omnis, etiam levis, formido: ergo non requiritur iudicium moraliter certum, sed sufficit probabilius. Confirm. Qui agit, quod ipsi spectatis omnibus circumstantiis, videtur probabiliter licitum, agit prudenter: ergo non peccat. prob. conseq. omne peccatum est imprudens: ergo. Resp. dist. antec. non requiritur, ut excludatur omnis formido imprudens. conc. antec. omnis prudens neg. antec. & conseq. Cum formidine tantum imprudente stat iudicium moraliter certum: at iudicium tantum probabilius stat etiam cum formidine prudente.

Nam, licet mihi probabilis sit, aliquid non esse peccatum, si tamen alii graves viri, ex rationibus non contemnendis, dicant, esse peccatum, est formido prudens: nec potest hac deponi per principia directa, sed debet deponi per reflexa. Ad confirm. dist. antec. qui agit probabiliter licitum, agit prudenter, si non addit simul prudens formido oppositi, vel hac deponatur per principia reflexa. conc. antec. secus. neg. antec. & conseq. Ipsum antecedens, in hac confirmatione obiectum, est principium reflexum, ex quo, & altero, scilicet, quod prudenter agens non peccet: itemque ex notitia experimentalis, quod ipsi, hic & nunc, istud videatur probabilius, potest quis inferre iudicium sufficienter certum de licentia actionis. Quare, quando dicitur, quod operans secundum sententiam, quam prudenter iudicat esse veram, non peccet; eoquod nemo prudenter agendo possit peccare, id non ita intelligendum est, quasi operans cum dictamine ultimo, tantum prudenter affirmabili, eo ipso prudenter agat, & non peccet (nam iudicium, etiam probabile, vel probabilius, est prudenter affirmabile: quia tamen stat cum prudenti formidine, vel dubio de opposito, non prudenter cum eo solo agitur, aut non peccatur, antequam dubium excludatur; quia agitur cum dubio practico) sed tantum intelligendum est, quod, si quis prudenter possit iudicare, sententiam aliquam esse veram, facile sibi possit formare dictamen reflexum, quo excludat omne dubium, & sic prudenter agat, atque non peccet.

240. Ob. 7. Non tenemur vitare omne prorsus periculum peccati: ergo sufficit iudicium probabilius. prob. antec. si teneremur vitare omne periculum peccati, nemo posset fieri miles, aut mercator, inò vix posset quis esse secularis: hoc est falsum: ergo. prob. ma. in his omnibus est periculum, vel occasio satis propin-

qua peccandi: ergo, si istud omne debemus vitare, nemo potest eos status amplecti. Resp. dist. antec. Non tenemur vitare omne periculum tantum indeterminatum peccandi, & quando est nimia difficultas, illud omne vitandi. conc. antec. non omne periculum determinatum, etiam peccati determinati, & quando non est difficultas nimia vitandi. neg. antec. & conseq. ad prob. neg. ma. ut supra. ad huius prob. dist. ant. ut prius, & neg. conf.

In illis statibus periculum est tantum indeterminatum, simulque moraliter non potest vitari: at in nostro casu est periculum determinatum, in individuo peccandi, ea actione, quæ præmanibus est: simulque nulla difficultas excludendi formidinem per principia modicè reflexa: & licet non cuique semper ita promptæ sint istæ reflexiones formaliter tales, tamen faciliè incidunt æquivalenter tales, saltem, ut excludant actualement formidinem. Sed de hac objectione sufficiens agendum tr. de penit. ubi agitur de obligatione vitandi occasiones peccati.

QUÆSTIO II.

De Conscientia Dubia.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Dubium.

241. **D**ubium latè sumi potest pro omni iudicio incerto; & sic etiam opinio, seu sententia tantum probabilis, quandoque vocatur dubia. At si dubium strictè sumatur, est *hesitatio, vel suspensio mentis, neutri parti assentientis ob formidinem erroris*: vel, ut definit Bardi de conscientia discept. s. c. 1. n. 1. est *suspensio intellectus manentis in æquilibrio, inter duo contraria, & non assentientis, neque dissentientis*. ita communiter auctores contra aliquos, requirentes iudicium formidolosum de propositionis fallibilitate, quos rejicit Bardi loc. cit. ex eo, quod sine tali iudicio possit dari dubium, modò detur illa suspensio intellectus.

Non tamen sufficit ad dubium quæcunque omisio iudicii; aliàs etiam omnis nesciens dubitaret. Sed neque sufficit quævis suspensio intellectus; aliàs, quotiescunque suspenderem assensum, sive eum non elicerem circa mysteria fidei, quando de iis cogito, ea præcisè de causa, ne caput nimium fatigem, dicerem de illis dubitare, quod esset valde absurdum. Igitur ad dubium requiritur suspensio, orta ex formidine erroris, vel ex iudicio, quo quis putat, hic se falli posse. Unde Suarez in 1. 2. tr. 3. de bonitate & malitia humanorum actuum disp. 12. sec. 5. n. 1. existimat, dubium involvere cognitionem, seu iudicium reflexum, de insufficientia rationum ad assensum: hoc tamen alii negant.

242. Dividitur jam *dubium* in *positivum*, & *negativum*, in quorum tamen terminorum acceptione auctores non conveniunt. Quidam vocant dubium negativum, quando assensus suspenditur ob carentiam omnimodam rationum in utramque partem, dummodo quis de objecto cogitet, & rationes inquirat, nullas autem inveniat, & sic dubitare quis potest, an stellæ, vel

vel arenæ maris, sint numero pares, vel impares: aut an Turcarum imperator modò dormiat, an vigilet. Dubium autem positivum dicunt, quando dantur rationes in utramque partem, sed in neutram convincentes, & ideo suspenditur assensus. Alii tamen cum P. Thyrsio, & Elizalde, negant, suspensionem intellectus, ob carentiam omnimodam rationum, vocandum esse dubium; cum sit pura nescientia. Meo tamen iudicio non male Bardin. 6. loc. cit. n. 241. ait, illam suspensionem assensus, ob carentiam omnis rationis, vocari quidem posse *dubium metaphysicum*, non verò *morale*; quia, quando intellectus non habet ullam rationem, sed tantum ideo hæret; quia videt, posse utrumque esse, fundatur illa hæsitatio in mera rei, physica, vel metaphysica possibilitate, quod dubium in moralibus non æstimatur.

Quare moraliter loquendo, videtur melius explicari *dubium negativum* dicendo, quòd sit *hæsitatio, vel suspensio intellectus, habentis quidem aliquam, sed non tam gravem rationem, vi cuius possit iudicium probabile ferri*: at verò *dubium positivum*, quòd sit *hæsitatio, vel suspensio intellectus, habentis rationem sufficientem, vi cuius possit ferri aliquod iudicium probabile*. Exemplum dubii negativi, in hoc sensu morali accepti, potest esse, si quis à duobus audiret contraria de voluntate superioris, vel si rudis in fide audiret ab iisdem contraria, circa mysteria fidei, aut leges Ecclesiæ: vel si quis duos sacre Scripturæ textus obscuros, apparenter contrarios, legeret, nescirèturque, quem literaliter, quem tantum metaphoricè, ita, ut alteri nihil contrarium diceret, exponere deberet. Exemplum autem dubii positivi præbent plurimæ opiniones contrariæ, comparativè probabiles.

Ubi nota, dubium negativum, prout à nobis explicatum est, vocari quandoque *dubium probabile*, ut distinguatur à dubio irrationali, seu scrupuloso: & pro tali, seu ita probabili, accipit dubium Cardenas p. 2. crisis Theol. tr. 6. disp. 46. c. 1. n. 3. item S. Antoninus 1. p. tit. 3. c. 10. §. 10. ante medium sic scribens: *Sumendo propriè, & strictè dubitationem, videlicet prout rationes sunt æquè ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat quis ad unam, quàm ad ad aliam.* (scilicet propter insufficientiam rationum, ita, ut de neutra parte iudicium verè probabile ferri possit, juxta paulò ante à nobis datam explicationem dubii negativi) sed si dubitet leviter quis, & per modum scrupuli &c. unde patet, non esse idem dubium probabile, & dubium ortum ex rationibus probabilibus. Ulloa tom. 4. agens de pœnitent. disp. 7. c. 2. n. 8. dubium negativum aliter explicat: sed, quia videtur supponere, quòd quotiescunque non adest tanta ratio, ut sufficiat ad ferendum positivum iudicium, dubium sit contemptibile, tanquam inanis scrupulus (quod non videtur verum ex dictis) malumus cum communiore sentire.

243. Dividitur *dubium* rursus in *dubium juris*, & *facti*. Prius, seu *dubium juris*, est quando dubitatur, an existat jus, vel lex, quæ præcipiat, aut legitimam facultatem det, vel actum validum, aut invalidum reddat &c. e. g. an deur lex, obligans ad agendam pœnitentiam, statim post commissum peccatum mortale: an hoc,

vel illud crimen sit reservatum: an baptismus collatus in aqua rosea, vel cerevisia, sit validus: an Eucharistia validè consecratur in spelta &c.

Alterum, seu *dubium facti* est, quando dubitatur, an aliquid factum, vel omisum sit, an non, e. g. an dictum Breviarium, vel omisum sacrum die festo: vel etiam *dubium facti* est, quando quis dubitat de re aliqua particulari, quæ est objectum alicujus actionis moralis, ut diximus de ignorantia. n. 14. e. g. si quis dubitat, an sit clericus, quem vult percutere, an sit dies festus, quo vult laborare. Ista autem duo dubia sæpe concurrunt, vel unum ex altero nascitur: sic ex dubio facti oritur dubium juris, e. g. an adhuc detur obligatio dicendi Breviarii, an audiendum adhuc sacrum: Item ex dubio juris dubium facti: e. g. an peccaveris materialiter, vel formaliter, talem actionem faciendo, an validè baptizaveris &c.

Dividitur rursus *dubium* in *speculativum*, & *practicum*, quorum mentio sæpius recurrit. *Speculativum* est, quod non immediate concernit actionem, sed aliquid remotius, e. g. dubium, an cerevisia sit materia valida baptismi; nam propterea non etiam dubitatur de licentia ita baptizandi, extra casum extremæ necessitatis; nisi enim quis sit valde rudis, certus est, id non licere; cum certum sit, non posse adhiberi materiam dubiam, quando potest haberi certa, & agitur de valore Sacramenti. *Practicum* dubium est, quod concernit licentiam actionis.

Aliqui hoc iterum distinguunt in *remotè practicum*, & *proximè vel practice practicum*. Illud ajunt esse, quod est circa licentiam actionis, vel omissionis in genere, e. g. an hic, vel ille labor sit licitus die festo: alterum dicunt, versari circa actionem cum omnibus circumstantiis specificis, vel individuantibus consideratam: e. g. an hic, & nunc, mihi audiendum, vel omittendum sit sacrum, quando domi est ægrotus, cui opus sit meâ præsentia. Alii tamen illud dubium remotè practicum dicunt esse speculativum, vel remotum: & secundum duntaxat dicunt practicum: atque in hoc sensu, nunc temporis fortè communiori, etiam nos ut plurimum loquemur.

244. Dico. Agere, vel omittere aliquid, cum dubio strictè practico, est peccatum, & quidem grave, si dubitetur, an sit peccatum grave. ita communissimè omnes: quæ ipsa auctoritas est magnum argumentum pro hac sententia. Probatur tamen ulterius 1. S. Paulus ad Rom. 14. v. 23. ait. *Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est*: hoc juxta communissimam expositionem significat: *Id, quod non fit cum determinato dictamine intellectus dicantis, licitum est, est peccatum*: ergo. Prob. 2. Dubitans practice de honestate actionis, & tamen agens, est ita constitutus, ut, si sit licitum, si non, si DEO placeat, si displiceat, tamen velit agere: sed hic affectus est manifestè inhonestus, & virtualis contemptus legis Divinæ: ergo.

Confit. Qui committit se morali periculo peccandi, peccat: hoc facit operans cum dubio practico: ergo. Unde ex hac obligatione, non agendi cum dubio practico, infertur altera obligatio, inquirendi morali diligentia in obligatione,

nes, & leges servandas, quam etiam asserunt Scripturæ, Patres, & sensus communis: quare, si quis non debito modo inquirat, peccat: si autem inquirat, tunc, vel per principia directa, aut reflexa, poterit deponere dubium: vel dabitur casus aliquis perplexitatis, in quo, si eligat minus malum, non peccat: si non possit discernere, quid sit minus, nec utrumque possit evitare, non habebit sufficientem libertatem ad peccandum.

ARTICULUS II.

An in dubio semper sit eligendum tutius.

245. **T**utius dicitur illud, quod est remotius à periculo peccandi. Minus tutum, quod minus est remotum ab eo periculo, quodque faciens est in periculo majori committendi peccatum, saltem materiale. Sic tutior est sententia S. Bonaventuræ, docentis, peccantem statim obligatum esse ad agendam pœnitentiam, quam sententia S. Thomæ, docentis, peccantem non esse ita obligatum. Non autem est idem, opinionem esse tutiorem, & esse probabiliorē: sic pluribus est probabilior sententia S. Thomæ, quam S. Bonaventuræ. Ratio est. Opinionem esse magis probabilem, est, eam esse nixam firmiter rationibus, quibus sæpe nititur opinio minus tuta præ tutiori. Quæritur jam, an dubius inter duas opiniones, quarum una est tutior alterâ, debeat operari juxta tutiorem.

246. Dico 1. Stante dubio strictè practico, five eo non deposito, debemus sequi tutiorem. Ita communis, & certa, Probatio est etiam clara; quia aliàs quis operaretur cum dubio practico, quod non licet ex n. 244. Et, si de hoc dubio intelligatur illud axioma juris (desumptum ex C. Ad audientiam 12. de homicidio, & aliis textibus juris) In dubio tutior pars est eligenda: utique ab omnibus admittendum est. Et sanè de hoc dubio istud intelligendum esse, volunt Arriaga, Oviedo, Tannerus, Layman l. 1. tr. 1. c. 5. n. 8. cum pluribus aliis: quanquam videatur, difficultate posse ostendi, quodd Pontifex cit. cap. de dubio practico loquatur. Qua de re plura ad objectionem primam. Suarez in 1. 2. tr. 3. de bonit. & malitia actuum, hum. disp. 12. sec. 5. n. 2. ait, potissimum locum habere hoc principium in dubio practico: & n. 6. ait, juxta materiæ exigentiam, & negotii qualitatē, pensanda utriusque incommoda, quodque habeat minora, eligendum: tandem n. 9. ait, hoc axioma sæpe esse præceptum justitiæ, aut charitatis, interdum tantum consilium.

247. Dico 2. In dubio speculativo, seu remoto, non debemus semper sequi tutiorem. Ita hodie longe communior: sequi enim hæc opinio omnium, qui docent, nos non obligari semper, ad notabiliter probabiliorē, quæ sententia est plurimorum recentiorum, & etiam ab antiquis multis defensa, ut eruditè ostendit Ralslerus in norma recti disp. 3. q. 9. a. 4. Prob. conclus. Hæc obligatio universalis, tutiora semper sequendi, in omnibus dubiis speculativis, vel remotis, est valde gravis, ut patet consideranti in-

finita dubia, passim in materia morali occurrentia: neque sufficienter probatur, ut patebit ex solutione objectionum: ergo non debet hominibus imponi.

248. Confirm. 1. In dubio negativo non debemus sequi tutius: ergo nec in dubio positivo. prob. antec. in eo dubio, ut supponitur, invincibili, datur ignorantia legis; licet enim lex non omnino nesciatur, sed detur quædam notitia inchoata, tamen in sensu morali non datur notitia; huic enim moraliter æquivalere non potest tale dubium: atqui ignorantia invincibilis excusat: ergo. probatur etiam conseq. non est minus periculum in dubio negativo, quam sit in positivo, peccandi, seu contra legem agendi: & quamvis in dubio positivo detur aliquantò major notitia legis, tamen neque hæc (saltem nisi sit notabiliter probabilior, legem existere) tollit, quo minus moraliter dubitetur, nec facit, ut lex sufficienter, aut simpliciter sciatur: & si ratione periculi agendi contra legem, peccat is, qui aliquo modo positive dubitat, nec excusabitur à peccato, qui advertit ad periculum peccandi, quamvis negative dubitet; quia illa aliquantò major, non tamen simpliciter dicta notitia, nil facit ad rem, nisi ratione advertentiæ ad periculum peccandi, quod in utroque casu est æquale. Insuper, sicut in casu dubii positivi datur aliquantò major ratio pro existentia legis, ita datur etiam major pro non existentia ejusdem, adeoque non datur simpliciter major notitia legis.

Confirm. 2. Plura juris axiomata negant hanc obligationem, e. g. Reg. 15. de regulis juris in 6. Odia restringi, & favores convenit ampliari. Reg. 30. In obscuris minimum est sequendum. Reg. 65. In pari delicto, vel causa, potior est conditio possidentis. & Reg. 56. ff. de reg. juris. Semper in dubiis benigniora preferenda sunt: ergo. Quod autem in quibusdam casibus particularibus, in jure expressis, debeamus sequi, quod est tutius, non debet extendi ad alios casus, de quibus jura non loquuntur, ex modò citata regula: Odia (sub quibus etiam juxta communissimam intelliguntur obligationes graves) convenit restringi.

249. Ob. 1. C. Ad audientiam cit. num. 246. refertur, quodd presbyter quidam, volens corrigere quendam de sua familia, tentaverit, eum verberare cingulo suo, cui adhærebat cultellus in vagina, qui elapsus hominem in dorso vulneraverit, ita, ut, accedente dein morbo, homo mortuus fuerit. Dubitatum inde fuit, an ex vulnere mors sit secuta, an verò ex accidente morbo, & an presbyter irregularitatem incurrerit. Clemens III. ad casum respondit: Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere presbytero memorato, ut in sacris ordinibus non ministret &c. ergo debemus sequi in dubiis, quod est tutius. Resp. cum Suarez, & Arriaga de act. hum. disp. 25. sect. 3. num. 18. Pontificem illud dictum non assumere tanquam principium universaliter obligans, sed duntaxat tanquam aliquam congruentiam: qua supposita ponit specialem legem circa dubium patrati homicidii, ut in hoc casu irregularitas incurratur: quod tamen, utpote odiosum, ad alia extendi non debet.

Verbo. Modus tendendi Pontificis decernentis hic erat. Congruentius est, & magis prudens